

haereticis, sed inconsulta dissimulationis. Cumque dote infallibilitatis in fide asserenda utpote Ecclesia primas prædictus esset, non confirmavit fratres suos juxta munus sibi a Christo Domino demandatum. Hanc stetisse concilio mentem in damnando Honorio, praeter Leonem II, in epist. ad Constantium imperatorem, ubi causam afferit cur et ipse concilii sententiam confirmans anathematizet et Honorium, qui, inquit, hanc apostolicam ecclesiam non apostolice traditionis doctrina illustravit, sed profana productione immaculatam maculari permisit (Ibid. col. 1475); seu etiam uti scribit ad episcopos Hispaniae: « Qui flammam haeretici dogmati non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligenter confovit (1); praeter Leonem, inquam, testem habemus locupletissimum imperat. Constantium Pogonatum, qui assidue synodi actionibus interfuit, nec parum causam catholicam juvit. Hic porro cui optime perspecta erat synodi mens, loquens de episcopis qui ecclesias perverse gubernarunt: « Hi sunt, inquit, Theodorus qui fuit Pharan episcopus; Sergius qui fuit nostra a Deo conservandæ regiae urbis antistes, ad hec et Honorius qui fuit antiquæ Romæ papa, hujusmodi haereses confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator (2). Ex quibus patet enim vocare confirmatorem haereses propter inconsultam oecconomiam, eumque præterea arguere quod secum ipse pugnet, quia cum catholice re ipsa sentiret in litteris, non iis tamen animis, quibus ad profligandam haeresim opus erat, et egit et locutus est (3). Certo si quis singula objecta concilii loca expendat nec unum offendet in quo dicatur anathema Honorio eo quod unam docuerit in Christo voluntatem.

(1) Apud Labb. conc. tom. vi. col. 1247. Licet hæc ipsa jam dederim in Tract. cit. *de Incarn.* l. c. attamen ut plena hic habetur de Honorii causa disceptatio, nec cogemus loctorem ad ea sibi comparanda ex illo tractatu, item illa hic in ejus communis subiecti.

(2) In *Edicto* apud Harduin. loc. cit. col. 1447.

(3) Cf. Jo. Garnerium S. J. in *Appendice ad notas capituli II. libri diurni rom. Pontificum*, §. VI. n. 63. seqq.

PARS SECUNDA.

DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

Si Ecclesia, ut ostendimus, ea societas est, cui Christus Deus homo plenissime depositum doctrinæ suæ concredidit; si Ecclesia est a Christo instituta ut jugiter populos ad fidem ope sua sive adductos sive adducendos indubius institueret documentis; si Ecclesia denique una eademque semper extitit et existit, et usque ad consummationem seculi in ministerio sibi commissio adimplendo, Christi, cuius personam sustinet, vices est præstitura, plane consequitur gentibus quibuscumque sive conversis, sive post hac convertendis non aliud sentiendum credendumque esse, quam quod eadem ipsis proposuerit Ecclesia,

quæ unice pro nobis proxima et adæquata esse potest credendorum regula et agendorum.

Porro Ecclesia quemadmodum viva voce a divino suo Conditore atque ab interiore Spiritus sancti afflato omnes fidei veritates ex ipso originis suæ et institutionis accepit exordio, sic easdem fideliter viva voce transmisit. Quemadmodum præterea hac ipsa Ecclesia ex quo esse coepit, vita vixit interiore fidei, spei et charitatis, sic eandem exteriori ministerio iis vitam omnibus communicavit quos Christo iuris fecit per verbi prædicationem ac in sinum suum recepit sacramentorum administratione aliisque admini-

Ad 2. Responsio patet ex dictis. Receptum siquidem antiquitus fuit, ut *haereticorum nomine significantur tam haeretici propriæ dicti, quam eorum fautores* (Cf. *ibid. n. LXIX*); cum vero monothelitarum fautorum, etsi deceptus, se exhibuerit Honorius, ideo a concilio ut haereticus damnatus est; ejus nomen e diptycis expunctum; scripta igni addicta eo quod ceteris exitium importaverint. Ita porro se gessit VI. synodus, quia nullum peccatum est quod fidei catholice quovis modo noceat in quod Ecclesia animadvertere non possit (1).

De Ecclesia ejusque supremo capite, romano pontifice, haec tenet. Quantu autem interfuerit haec præliu fortasse disseruisse, tum alias, tum præcipue in reliquis quas proposuimus tractationis hujus partibus quisque facile intelligit.

(1) Ex his patet necesse haud esse ad tuendum Honorium, ut confugiamus sive ad viatia acta conc. VI. sive ad epistolam imperatoris et s. Leonis II. suppositias etc. ut nonnulli etiam ex recentioribus facere conseruerunt. Omnes enim periores critici, ut recte observat Roncaglia in *Animadv. ad cit. Dissert. Nat. Alex. inaniter defendi Honorium* fatentur ab haereses nota illi inusta, ex ratione quod acta sextæ synodi ad nos adulteratae pervenerint; quoniam hodie vix est, ut subdit card. Orsi, I. c. cap. 26, qui Honorium in sexta synodo reapse damnatum fuisse neget. Sans quæ legerit Garnerium in cit. Appendice sibi facile persuadet nullo modo de ejusmodi adulteratione aut epistolaram surpositione vel tenuem suspicionem admitti posse.

Qui plura cupit de Honorio, ac de rom. pontificis infallibilitate universim, audeat quas identidem commemoravimus optimorum auctorum fontes. Non pressumus tamen quin hic præcipue commendemus opus illud, quod hæc ipsa de re Greconus XVI. Pont. Max. quem diu sospitem incolumentem Deus servet, jampridem, dum in minori usus esset, evulgavit titulo: « *Il Trionfo della santa sede e della Chiesa contro gli assalti de' novatori combattuti e respinti con le stesse loro armi* », Roma 1799; quodque recens et plures recusum, ea gallice etiam, germanice, hispanice atque holländice versum magnum ubique plausum excitavit. In hoc quippe opere præclarissimus auctor ea logicæ methodi de veritate, ea argumentorum viae doctrinæ copia pontificiam infallibilitatem, adversus neoteros et jansenianos gręge, vindicavit, ut rem plane conficerit. Ila nempe Greconus XVI. quadragesima et amplius ab hinc annis divinas Sedis illius prærogativas strenue propongabat, quæ aeternæ providentie consilio ab eo, nil tale cogitante, deinceps erat tenenda, ac tanta cum sapientia atque apostolici animi robore gubernanda.

culis, quibus Christus constituit gratiam suam sanctificantem una cum enumeratis virtutibus impertiri; que cuncta corpus hoc mysticum, ut ita dicam, informant.

Ipsam porro Christi Ecclesia longe lateque diffundebatur vita integerrima vivens, suo fungens munere, martyres sanctosque in cœlum transmittens, priusquam objecta fidei libris committerentur. Haec vero dogmata solo ministerio proposita, traditione sive orali sive practica tunc temporis servabantur. Oblata interea occasione et Spiritus sancti impulsu nonnulla hujus Ecclesiæ membra seu individua manus admoveuntur commentatoris seu libris edendis quæ tum Christi gesta et doctrinam referrent, tum ejusdem doctrinæ explanationes atque vindicias. Ejusmodi autem scripta in qua aliqua ex parte relata sunt, quæ ad ea usque tempora viva tantum voce proferebantur, nullum poterunt detrimentum afferre aut traditioni ipsi aut publico Ecclesiæ magisterio, quod ab ipsis independens omnino est. Quinimo libri qui identidem conscripti sunt, ad Ecclesiæ auctoritatem tanquam ad regulam proximam fuerunt exacti, quando Ecclesia eosdem recipiens suo veluti suffragio consignavit. Edixit enim eos libros veridicos esse, divinæ inspiratione conscriptos; ex iis canonem suum effecit, constituitque ut omnes exinde libros illos seu veræ, authenticos, divinitus inspiratos, et canonicos venerarentur, atque ex ipsis, se magistra, veritates inclusas quilibet derivaret. Hinc duplex illa regula et Ecclesiæ magisterio subordinata credendorum et agendorum, Scriptura et Traditio, que ad nos usque dimanavit. Quandoquidem vero temporis tractu plura ex iis quæ traditio primæva complectebatur, monumentis sunt consignata, factum est, ut Scriptura et hæc monumenta utpote mortua ab Ecclesiæ iugi vivoque magisterio vitam, ut ita loquar, adipisci semper debuerint, cum ejus tantum sit tum de veris ac genuinis Scripturis earumque legitimo sensu, tum de veris divinis traditionibus judicare.

Quamobrem de Scripturarum traditionumque divinarum existentia et origine, deque ipsarum præterea Scripturarum inspiratione ac ceteris quæ ad utrasque

referuntur, infallibili auctoritate seu de fide nobis nisi per Ecclesiam nequit constare. Neque enim alia suspetit via. In haec porro fidei professione non distinguuntur theologus aut quilibet vir doctus a quovis rudi fidei, cum omnes ex æquo ob eamdem auctoritatem hos fidei articulos fidei teneant. Hoc solum intercedit doctum inter rudemque discrimen, quod huic sufficiat assensum præbere suum iis quæ sibi ab Ecclesia traduntur; at virum doctum præterea deceat fontes ipsos ope scientiæ investigare, eos aperire, et efficerne ne unquam adversariorum erroribus contaminentur, prout in quovis fere fidei articulo aut dogmate fieri consuevit. Theologus quippe prius exhibet in articulo quilibet Ecclesiæ doctrinam, deinde ejus veritatem vindicat ex Scripturis, conciliis, patribus, ceterisque fontibus seu instrumentis scientiæ sua propriis, ac denique adversariorum difficultates disjicit; de quo suo nobis loco erit data opera pertractandum.

Hanc propterea methodum circa Scripturam ac traditionem sequi ipsi statuimus; quia quamvis illæ fontes sint, seu loca theologia ex quibus vir theologus suas haurit probationes, sunt simul objecta fidei nostræ, quæ proinde uti objecta reliqua ab Ecclesia credenda proponuntur. Evidem nobis proposuimus pro genetico, ut vocant, servando ordine prius de traditione quam de Scriptura disputationem habere, siquidem re ipsa traditio Scriptura anterior est; cum tamen viderimus plura ex iis, quæ viva voce ab initio propagata fuerint, postea esse scriptis patrum monumentisque ecclesiasticis commendata, ne ordinem hæc ex parte invertere postea cogeremur, prius de Scriptura sacra, deinde vero de traditione disserendum esse censuimus, ut sic continentि oratione persequi illa omnia possimus quæ ad hanc referuntur. Totam autem hanc controversiam in hac altera tractationis parte complectimur, cum par Scripturae ac traditionis auctoritas sit, et ex æquo possit theologus tanquam ex fonte scientiæ hujus nostre proprio argumenta promovere sive ad dogmata constabilienda, sive ad aliena placita refutanda. In duas sectiones eam dispertimur, in quarum priori de sacra Scriptura, in posteriori de traditione disseremus.

PARTIS II

SECTIO PRIOR. -- DE SACRA SCRIPTURA.

Sacrae Scripturæ nomine significantur omnes et soli libri quos Ecclesia habet uti divinitus inspiratos, et in censum seu canonem suum retulit, omnibusque fidelibus ut authenticos, genuinos et Spiritu sancto afflante conscriptos exhibet, utpote qui Dei verbum præ se ferant. Ex hac notione intelligimus agendum a nobis esse de sacrorum Bibliorum *canonicitate*, ut vocant, corumque divina inspiratione. Cum vero protestantes contendant sacram Scripturam adæquatam

et proximam esse credendorum regulam, imo et controversiarum fidei judicem prout a spiritu uniuscujusque privato, aut interiore Spiritus sancti afflato et impulsu subjectivo exponitur; ideo ostendendum præterea nobis est Scripturam sacram neque regulam proximam et adæquatam fidei esse posse, neque alium legitimum ejus interpretem esse nisi solam Ecclesiam. His adjicienda sunt quæ ad ejusdem Scripturæ exegesim, versiones, lectionem spectant, non

omnia, sed pauca delibando, prout p̄aelectionum nostrarum postulat ratio. Ille enim professoris sacra- rum litterarum provincia est, qui ex professo, ut ait, de gravissimis hisce argumentis perirrat. Distinctis capitibus quæ hic enumeravimus persequemur.

CAPUT I. DE SACRORUM LIBRORUM CANONE ET AUCTORITATE.

Kαὶ grace, latine *regula*, hic sumitur pro censu seu catalogo librorum quos Ecclesia uti sacros et divinos, ac propriea uti authenticos habet (1). Ex his libris alii ante, alii post Christi adventum conscripti sunt, unde eorum in libros Veteris et in libros Novi Testamenti partitio.

Hunc canonem seu catalogum exhibet Tridentina synodus sess. IV, his verbis: « Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit (sacerdotia et generalis synodus) ne cui dubitatio subhoriri possit, quinam sint qui ab ipsa synodo suscipiantur. Sunt autem infra scripti:

Testamenti veteris, quinque Moysi, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Cantorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaías, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, id est Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias; duo Machabœorum, primus et secundus.

Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem; Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim epistole Pauli apostoli, scilicet, ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebreos; Petri apostoli duas; Joannis apostoli tres; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una; et Apocalypsis Joannis apostoli.

Si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia-catholica legi consueverunt,

(1) Talem huius vocis inesse sensum ex antiquis etiam scriptoribus liquet. Nam scripsit s. Hieronymus adversum Ruffinum lib. II, n. 26. (edit. Vallars): « In libris, inquit, Samuel et Malachim, quos nos regnorum quatuor nominamus, post *catalogum divinæ scripture*, » etc. Loquitor porro de libris sacris quos enumeraverat in *prologo galeato*; sic etiam s. Augustinus, lib. II. *De doctrina christiana*, cap. 8, cum n. 12. minims scriputuram canonistarum quæ ab ecclesiis catholicis accipiuntur, pergit n. 15. scribens: « Totus autem *canon* Scripturarum, in quo istam considerationem versandam, dicimus his libris continetur, » etc. Hos ipsos libros voca *canonicos*, lib. XV. *De civ. Dei* cap. 25, n. 4, vocat *Scripturas canonicas*; et lib. XVIII, cap. 41, n. 1. « Denique, inquit, antores nostri, in quibus non frusta sacrarum litterarum figuræ et terminatae *canon*, absit ut inter se aliqua ratione dissident, » et alibi passim. Cf. *Petitdidier, de sacram script. diss.* XI, p. 94, necnon *Josephum Blanchini*: *Vindiciae canoniarum scripturarum*, Romæ 1740. *Præf. historica general.* cap. 1.

et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canoniciis non suscepit... anathema sit. »

Ex his porro tum Veteris tum Novi Testamenti libris alii ducantur *proto canonici*, alii *deutero canonici*. Protocanonici ii sunt qui primo in canonem relati sunt, deutero canonici vero ii qui postea in canone sunt recensiti. Libri protocanonici V. T. auctore Josepho Flavio (1) viginti duo sunt, nempe omnes enumerati præter Baruch, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum ac duos Machabœorum, qui serius in canonem ab Ecclesia relati sunt, adeoque deutero canonici nuncupati. Libri protocanonici N. T. sunt pariter omnes recensiti, exceptis epistola b. Pauli ad Hebreos, II. epistola b. Petri, duabus posterioribus s. Joannis, epistola s. Jacobi, item epistola s. Judæ et Apocalypsi b. Joannis, ut nonnullas quorundam librorum partes omittamus (2).

Utrorumque autem librorum sive proto, sive deutero canonorum eadem est auctoritas in Ecclesia catholica, que nullum inter eos agnoscat discrimen. Protestantes autem convenienter quidem, seu potius olim conveniebant in admittendis libris protocanonici utriusque fœderis; ast magna semper inter eos sententiæ discrepantia vixit ac viget circa libros deutero canonicos. Modo enim, ut lutherani, libros omnes deutero canonicos V. T. ac omnes N. T. abjeccerunt; modo cum calvinistis libros omnes deutero canonicos V. T. rejecerunt, retinentes omnes deutero-

(1) Lib. I. cont. Appionem § 8. ubi scribit: « Itaque apud nos nequam innumerabilis est librorum multitudo, discentium atque inter se pugnantium: sed duo duxtant et viginti libri, totius temporis (præteriti) historiam complectentes, qui merito creduntur divini » (edit. Havercamp). Hos deinde enumerans, recenset quinque libros Moysis, tredecim libros a prophetis conscriptos, et quatuor complectentes hymnos in Dei laudem, et præcepta vita hominum utilissima, nempe libros quos nos vocamus sapientiales. S. Hieronymus in prologo galeato in lib. Reg. hanc enumerationem refert ad viginti duas alfabetis hebraicis litteras scribens: « Viginti et duas litteras esse apud Hebreos, Syrorum quoque, et Chaldeorum lingua testatur... Quomodo igitur viginti duo elementa sunt... ita viginti duo volumina supplantur quibus. » etc. Annotat tamen ibid. q. inquit litteras duplices apud Hebreos esse *caph*, *mem*, *nun*, *phe*, *sade*, quas nos finales vocamus, « Unde, prosequitur, et quinque a plerisque libri duplices astinuntur, Samuel, Malachim, Dabre-jamim, Ezzas, Jeremias cum Cianoth, id est lamentationibus suis. » Erant, propterea viginti septem libri protocanonici V. T. Hi dividebantur in tres classes, in *legem* nempe, *prophetas*, *hymnos*, seu *psalmos*, ad quam divisionem, iuxta Maldonatum, Natalem Alex., Lightfootum *Miscell.* cap. 44. P. Lamy in *Apparatus biblico*, lib. II, cap. 2, aliquo passim, allusus Christus, Luc. XXIV, 44, dicens: « Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis, de me. » Postea obtinuit, ut dividebantur in *legem*, *prophetas*, et *hagiographa*. De qua cf. Vossium de *Orac. sibyllinis*, cap. 12. Lugg. Batav. 1680. Atque atrumque Buxtorum ubi de canone Hebreorum; item Blauchiunum, op. cit. *Præf. gen.* pag. 5. seqq. Bonfrerium S. J. in *Præloquio in totam sac. Script.* cap. 5. sect. 6.

(2) Tales librorum partes quod attinet ad V. T. sunt canticum seu hymnum trium puerorum, Dan. III, a. v. 24. ad 90, inclusive, Historia Susanna, cap. 15, ac destrucción Beli et Draconis, p. c. 14, septem postrema, capita libri Esther, nempe a cap. 10. v. 4. ad 16. v. 24. Quod vero spectat ad libros N. T., sunt 1. posteriores versiculi cap. 16. s. Marci, nempe a v. 9. ad finem; 2. historia sutoris Christi sanguinem, quæ legitur apud s. Lucam, cap. 22. vv. 45. et 44.; 3. historia mulieris adulteræ Joan. VIII, v. 2-12, inclusive. Septem itaque sunt libri deutero canonici V. T. et partes librorum duas, nempe additiones Danielis et Esther; septem item libri N. T., sex scilicet epistole et liber Apocalypses et tres librorum partes.

PART. II. CAP. I. DE SACR. LIBR. CAN. ET AUCTOR.

canonicos N. T.: nunc visi sunt et videntur omnes prorsus retinere cum Ecclesia catholica, nunc non respuunt duntaxat deutero canonicos, sed vixdum habent aliquem ex protocanonici librum aut aliquam libri partem quæ modo ab hoc, modo ab illo non recipiatur, aut saltem in dubium non revocetur (1).

Quæ cum ita se habeant, duo a nobis praestanda sunt: primo Tridentinus seu Ecclesiæ canon vindicandus, secundo ostendendum non posse acatholicos independentes ab Ecclesiæ auctoritate ullum sibi canonem certum constitutum. Sit igitur

PROPOSITIO I. — *Canon sacrorum librorum a concilio Tridentino editus solidum habet in primitiva Ecclesiæ fundamentum, ac integer est omnino retinendus.*

Complectimur, ut patet ex thesis enuntiatione, libros prorsus omnes sive proto, sive deutero canonicos utriusque fœderis cum omnibus suis partibus prout in vulgata editione legi consueverunt ad mentem concilii Tridentini.

Sic porro imprimis generatim ejus evincimus veritatem: canon Tridentinus solidum habet in Ecclesia primitiva fundamentum, si de ætate in ætatem per quosdam veluti gradus assurgendo ad primum usque Ecclesiæ seculum pervenimus, intuemur canonem illum per eam ætatem usui fidelibus esse; jamvero ita se res habet.

Etenim canon Tridentinus idem plane est ac canon quem sec. XV. exhibuit Eugenius IV. in decreto ecclesiæ romanæ nomine pro Jacobitis dato an. 1459 (2). Ille rursum desumptus est ex canone quem an. 494. edidit in decreto suo Gelasius (3). Hic item plane congruit cum canone quem tradunt tum s. Innocentius I. in epistola ad Exuperium (4), ac s. Augustinus an. 400. lib. II. *De doctrina christiana*, cap. 8. n. 13. (5), tum concilium Carthaginense III. an. 597. celebratum cap. 47. (6), tum concilium Hippouense coactum an. 595. can. XXVII (7). Constat

934. et col. 873. ubi in cod. eccles. Africana canon de quo loquimur reperitur sub n. 24.

(1) Id aperte testatur s. Innocentius I. ep. XXV. ad Decentium episc. Eugubinum n. 2. apud Constant., op. cit. col. 836. ac Tertullianus *de prescript.* cap. 56. ed. Rigalt. ubi postquam de Petro, Paulo ac Joanne disseruerit qui Romæ fuerint, pergit: « Videamus quid dicuerit, quid docuerit, cum Africani quoque ecclesiis contesseravit.... Legem et prophetas cum evangeliis et apostolicis litteris miscet, et iude potat fidem. » In quem locum cf. annotat. p. De la Cerda, ut omittam s. Augustinus quis ipsius idem testatur. Cf. quæ seri sions in tract. *de Trinit.* cap. 2. prop. 2. col. 392. not. (a). edit. 1. Rom.

(2) Franciscus videlicet, tom. II. Anastasi. *biblioth. de suis roman. pontific.* pag. 48. col. 2. in notis historicis ad s. Clementem sect. 4. ejusque nepos Josephus, op. cit. *Præf. gen.* p. 5. Notandum porro est tantæ apud veteres fuisse auctoritas epistolæ s. Clementis, ut pleraque ecclesiæ eam legere solite fuerint publice diebus dominicis, ino et inter canonicas scriptas a non paucis recensite fuerint, uti max videbimus.

(3) Cf. Godefrroi Vendelini *de Clementis et ejus epistolarum tempore divinatio*, apud Cotelerium tom. I. *Patr. apostolic.* necnon ejusdem Cotelerii *Judicium de priore epistola s. Clementis.*

(4) Cf. s. Hieronymus *de viris illustr.* cap. 9. cum quo consentiunt veteres omnes qui referunt ad profligandas cerinthianorum et ebionitarum heresies s. Joannem Evangelium suum scripsisse, quæ quidem an. 14. Domitianum possimum invaluerunt. Hug. et cum ipso Cellérier, *Essai d'une introduction critique au nouveau Testament.* Genève 1825. *Deux. part. sect. 5.* censem Joannem tum Evangelium tum tres ejusdem exarasse una cum Apocalypsi in insula Patmos. Prædictæ conjecturas innituntur auctoritate Synopseos athanasianæ. Verum haec argumenta talia nobis non videntur ut possint unanimem veterum consensus in firmare.

(5) Tom. IV. Anastasi. *bibliothecarii de vitis rom. pontificum edit.* Blanchini. Romæ 1733. *Prolegom.* opuse. 5. pag. 61. seq.

(6) Apud Constant. *Epist. rom. pontif.* inter Innocentianos, ep. VI. cap. 7.

(7) Quatuor libri de doctrina christiana a s. Augustino ceperit sunt circa an. 597. et absoluti an. 406.

(8) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 968.

(7) Hoc concilium plenarium totius Africæ a Possidio in vita s. Augustini cap. 7. vocatum est. Hic us concilii canones reperiuntur in *codice canonum ecclesiæ Africæ*; cumque fuerint vel probati vel retractati a conc. Carthagin. III. an. 597. celebrato, hinc sit ut permisceantur cum canonibus huius posterioris concilii. Cf. Harduin loc. cit. col.

sa omisit ex libris protocanonicis utriusque Testamenti (1).

Interim ex dictis apparet eumdem semper sacrorum Bibliorum obtinuisse canonem in ecclesia romana omnium ecclesiarum matre et magistra, adeo ut ejus canon ad ætatem usque apostolicam manifeste ascendat. Epistola quippe Clementis, cum adhuc in vivis ageret Joannes, exarata est; divina autem providentia contigit, ut dilectus hic Apostolus sub Dominiano Romanum traductus fuerit (2), et paulo post suam in insulam Patmos relegationem ad eamdem ecclesiam miserit suum Evangelium et Apocalypsim, ut plenus ibi Scripturarum census reperiatur. Sane huic ecclesiæ statim concreditam Apocalypsim fuisse, aperte constat ex eo quod s. Justinus Romæ degens, et s. Irenæus qui et ipse sub Eleutherio Romam se contulit, commentarios suos ediderint in hunc librum veluti canonieum et sacrum (3).

Et haec quidem quod spectat ad identitatem canonis Tridentini cum canone ab apostolicis temporibus recepto in ecclesia romana vel ex ipsa canonis descriptione in adductis documentis, vel ex allegationibus Clementis Romani. Nunc adjicere præstat alia documenta, qua id ipsum confirmant. Sunt autem I. Testimonia magna sedulitate collecta a cl. Blanchinii ex scriptoribus et conciliis cuiusvis sæculi, incipiendo a sec. I. usque ad sec. XVI (4). II. Inscriptiones lapidarie, quas inter illustris est quæ jam a sec. VIII. a quadam Gregorio presbytero in ecclesia s. Clemensis posita fuit; in ea quippe expressa sit librorum mentio qui juxta ordinem versionis Alexandrinae recipiebantur in canone Hebreorum (5). III. Opera musiva, sculpture in sarcophagis, picturæ in cœmeteriis et in basilicis apud Ciampinum (6), Aringhium (7), aliasque, qui ea monumenta collegerunt ac illustrarunt, quæque ante Gelasi decretum jaundiu extabant in ecclesia romana. Porro ex his constat libros deuterocanonicos ea in ecclesia uti sacros et canonicos habitos semper fuisse. Atque ut aliquot

(1) Tales sunt ex V. T. libri Jūdicū, Paralipomenon, et Canticī Canticī; ex N. autem epist. ad Galat. ad Colosenses, ad Titum, et ad Philemonem.

(2) Uti testatur Tertullian. *De præscript.* loc. cit. et s. Hieronymus in *comment.* in *Matt.* lib. III. cap. 20. edit. Vallars. tom. VII. col. 136.

(3) Cf. Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV. cap. 18. et s. Hieronym. *De viris illustr.* loc. cit.

(4) Cf. in *Appendice de scriptoribus ecclesiasticis*, qui ab apostolorum ètate usque ad sacrosanctum ecumenicum conc. Tridentinum, canonis divinarum Scripturarum, seu certi veteris ac novi testamenti librorum catalogi, ab Ecclesia recepti, indicem texerunt. In cit. Præf. gener. p. 3. seqq.

(5) Cf. apud Francisc. Blanchinum tom. III. Anastasis Biblioth. in notis historicis in sect. 64 vita s. Gelasi, pag. 197-200.

(6) *Vetera monumenta.* Roma 1690. Pleraque facta quæ referuntur in libris deuterocanonicis V. et N. Testamenti in picturis, sculpturis et in operibus musivis christianorum ædium expressa habentur, una cum illis quæ habentur descripta in libris protocanonicis utriusque fœderis.

(7) *Roma subterranea in duos tomos distributa.* Roma 1631. Cf. etiam Bosio, *sculpture et pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma.* vol. 5. fol. Roma 1757. quæ est collectio omnium copiosissima. Plures ex his picturis refert etiam d'Agincourt in op. *storia dell'arte, dimostrata coi documenti,* trad. dal franc. Prato 1826.

inde exempla proferamus, in basilica s. Pauli via Ostiensi a s. Leone M. musivis, picturis, historiisque decorata, exhibent oracula sacrorum Bibliorum a Genesi ad Apocalypsim: insuper in valvis æneis Ostiensis ipsius basilicæ designantur prophetæ, inter quos visitur BAPOYX Baruch, qui adjungitur Jeremiæ, interque versiculos qui adducuntur ex Jeremias legitur in hujus pugillari: *Hic Deus noster et non imputabitur aliis;* quæ verba extant Baruch III. 56. (1). Tabula tertia cubiculi tertii cœmeterii Callixtiani historiam refert Tobiae (2); in sarcophago Junii Bassi Daniel conspicitur inter leones illæsus (3); Susanna a seniorum calumniis vindicata passim in picturis vetustissimis occurrit (4); frequens item admodum est in antiquis monumentis inscriptio: *Alpha et Omega,* quæ in Apocalypsi de Christo habetur ad significandum ipsum esse *principium et finem* (5). Quare si quis in pretiosa hæc documenta digitum intendere velit, ut verbis utar Cl. Blanchinii, poterit canonem sacrorum Bibliorum tradere (*Op. et loc. cit. pag. 197. col. 4.*). IV. Idipsum conficitur ex *Ordine Romano* in quo præscribitur clero universo per anni circulum lectio ex singulis recensitis libris; ex quo profecto liquet quanta sedulitate canonem suum in basilicis titulisque romana ecclesia perpetuo custodierit (6).

Denum, licet canon ecclesiæ romanae ab ecclesiis omnibus, orientalibus præsentim, receptus ab initio non fuerit, tamen in magna saltem existimatione,

(1) Cf. Franc. Blanchinum, op. cit. *Anastasis. biblioth.* I. c. ubi luculentiter ostendit quomodo ex sanctorum martyrum cœmeteriis, vel sacris ædibus primorum titulorum ac basilicarum ab ipsa ætate apostolica ante pontificatum Gelasi canon erui possit librorum singulorum utriusque fœderis, ut reiuss adductis documentis ipse conficit. Vid. tom. III. pag. 196. seqq.

(2) Ibid. p. 200.

(3) Apud Aringhium, op. cit. tom. I. lib. II. cap. 10. « De viris illustribus in vaticano conditis, et de sepulcris, sepulcribusque inscriptionibus apud vaticananum cœmeterium, » pag. 275. seqq. ubi etiam exhibunt tabulae areæ incise. Sarcophagus Junii Bassi signatus est consulatu Eusebii et Hypatii (nempe an. areæ christ. 339.) repertusque est cum pluribus aliis in cryptis vaticanis.

(4) Ibid.

(5) Apud Ciampinum, op. cit. tom. I. cap. 22. n. 203. et apud Aringhium, op. cit. lib. VI. cap. 22.

(6) Antiquus Ordo Romanus vulgatus est sepius, præsertim ab Hitorpio in op. *de catholica Ecclesia divinis officiis*, Roma 1591. tom. I. a Joan. Cochlaeo in *Speculo Venetiæ* edito; Joan. Mabillonio in *Museo italicico.* tom. II. Exstat etiam in *Bibliotheca PP. De la Bigne*, edit. 3. vol. 15. p. 397. Quamvis porro Ordo Romanus per annū tempora præscribat lectiones legendas ex quovis fere Bibliorum libro, adhuc desiderabantur tituli seu sectiones in quas sac. Scriptura libri antiquitus divisi erant. Hoc autem ex antiquissimis MSS. ecclesiae rom. vulgavit B. card. Thomasius, vir de ecclesiastica antiquitate optime meritus, in op. *Sacrorum Bibliorum veteres tituli, sectiones, et stichonetria*, opp. edit. Rom. 1747. Ant. Franc. Vezzosi tom. I. Jamvero ibi exhibentur tituli et sectiones omnium prorsus librorum a Genesi usque ad Apocalypsim, nempe tum librorum protocanorum librorum deuterocanonicorum quales semper uti divinos et canonicos habuit ecclesia romana. Hi tituli anteriores sunt sec. 41. Observat insuper doctissimus vir jam a sec. 5. in eccl. latina hos titulos appositos sac. libris fuisse, et Cassiodorum meminisse horum titulorum Octateuchi, quinque librorum Salomonis, ut olin allegabantur, nempe non solum Prov. Ecclesiastes et Cantic. Cantic. verum etiam Sapientie et Ecclesiastici; item librorum Tobie, Esther, Judith et Machabæorum. Cf. ejus prelacionem.

imo veneratione quadam libros deuterocanonicos tum veteris tum novi fœderis habitos fuisse ex antiquis versionibus quæ adhuc extant satis eluet (Uti liquet ex polyglottis Valtonianis). Etenim libri hi omnes translati sunt; quod quidem haud dubie sensum illarum ecclesiarum quod hos libros ostendit.

Sive igitur canonem Tridentinum cum canone conferamus, qui semper retentus fuit in ecclesia romana, ac proinde in ecclesiis item occidentalibus reliquis; sive vetera consulamus monumenta, antiquasque versiones, constat quod proposuimus, canonem scilicet Tridentinum solidum in antiquitate habere fundamentum, ac integrum propterea omnino esse retinendum.

DIFFICULTATES. I. *Obj.* 1. Scripturæ canon non ab una Ecclesia tantum, sed ab omnibus, seu ab Ecclesia universa constitui debet. Verum quid dicemus si 2. ne constet quidem de constanti ecclesiæ romanæ traditione? Etenim (a) Eugenius IV. decretum suum dedit post Græcorum discessum; (b) dubiæ autem fideli est epistola Innocentii ad Exuperium; (c) Canon XLVII. dici nequit concilii Carthaginensis III. quod celebratum est an. 397. Nam a concilio ad Bonifacium pontificem hic canon missus est, cum tamen constet an. 397. Syricum sedem Romanam occupasse; (d) Decretum Gelasianum juxta Caveum suppositum est, cum in antiquis collectionibus Damaso tributatur, interdum vero Hormisdæ; (e) Epistola autem Clementis Romani si unum alterumque librum excipias, nullum eorum in particulari appellat, uti observat Millius, qui propterea concludit primum canonem fuisse quatuor Evangeliorum. 5. Quis est præterea qui nesciat antiquum canonem seu censem Bibliorum æque ac versiones veteres abundare interdum, interdum vero deficere? Abundant quidem dum tres saltem libros exhibit Machabæorum, quatuor Esdræ, epistolam præterea s. Clementis, aut Barnabæ præ se ferunt; deficient, cum omittunt librum Baruch, ut concilium Carthaginense III. et decretum Gelasii in quo præterea non recensetur nisi unicus liber Esdræ et Machabæorum. Ergo.

Resp. ad 1. D. Si Ecclesia illa non esset omnium ecclesiarum mater et magistra, C. si talis sit N. Porro ecclesia romana, cum privilegio fruatur primatus in universam Ecclesiam, utpote quæ fundata sit a Petro apostolorum principe, qui eam sibi in sedem elegit, sua potuit auctoritate constituire verum Scripturarum canonem. Ista quam felix Ecclesia, inquit Tertullianus, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, quæ propterea, ut ibidem subdit, Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet et inde potat fidem (1), et ad quam quovis tempore ecclesiæ reliquæ omnes in orbe constitutæ confugerunt, ut dubia sua excuterent, cum opus esset, circa Scripturarum canonem, qui præcoide prævaluit in Ecclesia universa (2).

(1) *De præscript. heret.* cap. 56. ed. Rigal.

(2) Cf. s. August. lib. II. cont. *Advers. legis et Prophet.* cap. 4. n. 13. et in lib. cont. epist. *Fundamenta*, cap. 4, et 3. necnon *De doctr. christ.* lib. II. cap. 8. n. 12.

Ad 2. N. Etenim quamvis Eugenius IV. extra concilium Florentinum decretum illud ediderit, exposuit tamen in illo canonem ecclesiæ romanæ, præsentim cum decretum suum in publica sessione quam habuit in ecclesia lateranensi, conficerit (1). Ceterum cum Græci eumdem canonem admiserint, nihil eorum absentia auctoritati canonis ab Eugenio exhibiti destraxit (2).

Ne unus quidem criticorum superest, qui in dubium revocet γνησιότητα seu genuinitatem epistolæ s. Innocentii ad Exuperium (3), de qua iterum paulo post disseremus.

Sed neque dubiæ fidei est canon XLVII. conc. III. Carthaginensis: non enim conc. III, sed VI, Carthaginense illud est, in quo illa apparet subscripsiæ qua petitur ut ad Bonifacium acta illa mittantur cum canonibus præteriorum conciliorum Carthaginensium. Concilium porro Carthag. VI. celebratum reipsc est an. 419. sub Bonifacii pontificatu (4). Inter canones vero conciliorum anteactorum qui solemoiter ab hoc conc. VI. Carthaginensi confirmati sunt, reperitur can. XLVII. conc. Carthag. III. celebrati an. 397.

Neque pariter suppositum aut dubium est decretum Gelasianum: quod si in nonnullis collectionibus Damaso tributur, ideo est, quia, ut aliquibus eruditis placet, Damasus incepit elenchem librorum qui admittebantur aut rejicabantur ab ecclesia romana, Gelasius vero illum confirmaverit atque amplificaverit (5), prout paulo post etiam præstiti Hormisdas, qui decretum Gelasianum a se confirmatum et acutum misit ad Possessorem Africæ episcopum tunc Constantinopoli exulantem (6) Ex hoc etiam patet cur illud decretum fuerit etiam Hormisdas ad criptum. Ceterum Cave aliisque heterodoxi ab eruditis viris plene refutati sunt.

(1) Cf. Harduin. *acta conc.* tom. IX, col. 1021.

(2) Id constat ex confessione ipsorum adversariorum, et ex dicendis magis patet.

(3) Cf. Constant in adnotatt. ad hanc epistolam.

(4) Conc. Carthag. VI. est XVIII. celebratum sub Au-
relio an. 419. et ad ipsum spectat clausula de qua agitur, uti adnotavit Harduin, tom. I, col. 968. ad can. 47. conc. Carthag. III.

(5) Cf. hoc de argumento eruditum Justum Fontanum de *antiquitatibus Hortæ.* Roma, 1708. lib. II, cap. 5. ubi cl. vii adversus J. Pearsonum, Gullielmum Cave, J. Ernestum Grabium, ostendit perperam eos Gelasio adjudicisse decretum de quo agitur. Ut enim heterodoxos (qui traditionem rejicunt, ut ipse loquitur, et librorum canoniconum numerum pro arbitrio et sectæ sue commode minuant) ibi in canonе recensori librum Tobie, Judith, etc. adeoque modis omnibus illud decretum posteriori aeo, et nominatum ab Isidoro Mercatore confitum docent. Ast perperam; nunc enim a critici omne dubium sublatum est de ejusdem genuinitate.

(6) Cf. ibid. pag. 215 seqq. Antonius Pagius sub an. 494. n. 4. putat Hormisdam, ut petitioni Possessoris episcopi Africani Constantinopoli exulsantis faceret satis, tam ad legatos suos decretum Gelasii misisse, praependi, ut illud ab omnibus religiose observaretur; tuncque decretum illud in varia exemplaria per Fausti Rejensis adversarios exscriptum latius per Europam, Africam et Orientem volitasse. Quia vero ab Hormisdida fuerat missum, ejusque nomine vulgatum, eidem postea tanquam auctori tributum fuisse opinatur. De anno quo decretum a Gelasio conditum fuit critici inter se dissident. Baronius ad an. 464. n. 19. datum existimat in concilio Rom. LXX. episcoporum *asterio atque Præsidio consulibus*; pluribus hanc sententiam confirmat Laibeus, tom. IV, col. 4260: consentit denum Chiffletius in notis ad *Vigilium Tapenseum*,

Esto quod Clemens passim ad librum aliquem nominatim haud appelle: cum tamen promiscue ex libris sive protecanis, sive deuterocanonicis sententias promat eadem prorsus ratione, non obscure indicat se hos tanti ac illos facere, alioquin non ita sese gessisset (1). Millius porro non aliud significat, nisi prius canonem ab universa Ecclesia receptum ex quatuor Evangelii constitisse, quod non abuinimus. Imo addimus neque canonem Ecclesiae romanæ omnibus ecclesiis, praesertim orientalibus, communicatum primis seculis fuisse, aut vim ipsi obligandi Rom. pontifices adjecisse. Nonnisi quippe serius tacito omnium ecclesiarum consensu receptus est romane ecclesie canon (2).

Ad 3. D. Canonos diversi ab illo quem constanter asseruit ecclesia romana, *C.* canon ecclesiae romanæ *N.* Verum est antiquos canones a canone ecclesiae romanæ diversos interdum abundare, interdum vero deficere, eo quod ecclesiae particulares nondum secum inter convenerint ab initio in canone constituendo (3), neque canon ecclesiae romanæ statim ceteris obligationem intulerit. Attamen negari nequit eundem constanter canonem obtinuisse in ecclesia romana, ut ex allatis documentis certissime constat. Quod vero ad antiquas attinet versiones, cum haec a privatis fuerint hominibus adornatae, mirum esse non debet, si illi una cum canonis libris alios etiam veterint, qui magno habebantur in pretio, ac a nonnullis ecclesiae ut sacri et canonici excipiebantur.

Quod si in conc. III. Carthaginensi et in decreto Gelasii omittitur prophetia Baruch, id causæ demum est quod haec conjungatur cum prophetia Jeremia, ut patet ex documentis que attulimus ecclesiae romanæ necnon ex s. Irenæo (4), ac s. Cypriano, qui eam allegat velut Scripturam canoniam (5), quemadmodum pariter a Clemente Alexandrino (6), Am-

p. 157 auctoritate ductus antiquorum codicum in quibus hoc decretum notatur a Gelasio in synodo Rom. LXX. epp. Astero et Presidio Coss. qui est an. 494. Gelasius papæ tertius, ante Hormisdæ initia vicesimus. »

(1) Etenim s. Clemens plerumque contentus est sententias promere ex utriusque Testamento libris, nulla interjecta libri et auctoris mentione, sive agatur de libris protocanonicis, sive de deuterocanonicis. Indiculus qui ad oram hujus epistolæ habetur locorum Scripturarum qua profertur à Clemente, antiquissimum est, scriptorius nempe secuti quarti.

(2) Usque ad Tridentinum nullus solemniter ab universa Ecclesia confectus est Scripturarum divinarum canon, sed tacito vel expresso ecclesiarum consensu tanquam divini spectabunt libri quo Tridentinum recensuit. Nisi heretici obstituerint, longe probabilest futurum fuisse ut neque a Tridentino canon sanciretur.

(3) Probationes hujus assertioñis afferemus in inequenti propositione.

(4) Lib. V. cap. 5. n. 4. ubi scribit: « significavit Jeremias propheta: circumspice, dicens, ad Orientem, Ierusalem, et vide latitudinem, etc. Hic vero occurrit Baruch IV. 56 seqq.

(5) Lib. II. *Testim.* cap. 5. et quidem expresse allegat sub Jeremiæ nomine scribens: « Item apud Jeremiām: hic Deus noster et non deputabitur alijs, » etc. que verba leguntur, ut vidimus, Baruch III. 56 seqq.

(6) Paedag. lib. I. cap. 10. edit. Potteri Venet. 1757. tom. I. p. 152. ubi pariter allegat sub Jeremiæ nomine dicens: « Jam vere per Jeremianū quoque enarrat (Dominus): beati sunus Israel, » etc. prostant porro haec verba Baruch IV. 4.

brosio (1), aliisque profertur. Falsum autem est in decreto Gelasiano non recenseri nisi unicum Esdræ et Machabæorum librum: ut enim liquet ex decreto genuino Gelasii edito ab eruditio Franc. Blanchinio, duo tum Esdræ tum Machabæorum libri expresse commemorantur (2), prout pariter recensetur a s. Augustino (3), a s. Innocentio (4), et a conc. Carthag. III. (5).

H. Obj. Tametsi ecclesia romana eundem semper canonem retinuerit quoad libros V. T., ut id nunc liberaliter concedatur, certum tamen est 1. libros deuterocanonicos nunquam ab Hebreis in canonem adscitos esse, teste Josepho; 2. neque aetate Christi fuisse receptos, quippe qui præter legem, prophetas et psalmos, alios non agnovit (*Luc. XXIV. 44*), 3. nusquam illis libris usos apostolos fuisse. 4. Cum tamen in versione græca Alexandrina una cum ceteris deuterocanonicis reperiuntur libri, factum est ut publice etiam legerentur in ecclesiis, quæ per id tempus una hac versione utebantur. 5. Nunquam tamen hisce ecclesiis mens fuit eamdem, quam protocanonicis tribuebant, per hanc lectionem auctoritatem deuterocanonicis impetriri, quos scilicet solum ad aedificationem perlegerant. 6. Res nihilominus erat alea plena, periculumque instabat ne ex hac lectione eadem utrisque auctoritas tribueretur. Ut propterea abusum prævenirent, aut jam gliscenti huic abusi sese opponerent vigiles episcopi de remedio cogitare coepérunt. Etenim Melito Sardianus, Oriente pergrato, canonem edidit Esdrinum velut solum tunc temporis receptum (6); idem deinde præstitit Origenes (7); postea vero trigesita duo episcopi Laodiceæ congregati, qui canonem vulgarunt V. et N. Testamenti, nullos porro alios ex V. T. libros inter canonicos recensuerunt nisi illos viginti duos qui repertur in canone Esdræ (*Can. lxx. Mansi collect. conc. tom. II*): canon autem Laodiceanus vim legis obtinuit penes omnes Orientis ecclesiæ. Patres quarti seculi qui nobis catalogum reliquerunt librorum canoniconum V. T., in Oriente quidem Athanasius (*in Synopsi*), Cyrilus Hieros. (*Catech. IV*). Gregorius

(1) Serm. XVIII. in ps. CXVIII. n. 2. ubi legitur: Doct illa que in libro Jeremiæ stebiliter clamat ad captivos et exiles Iudeos: ne, profiscimini, filii; ego enim derelicti sum deserti, » etc. que quidem occurunt Baruchi IV. 19 seqq.

(2) Cf. Anastasi biblioth. de vitiis rom. pontif. tom. IV. Opusculum III. pag. 61. quo tria exhibentur exemplaria decreti Gelasii I. primum, quod genuinum dicitur, erutum est e cod. Florentino antiquissimo a Luca Holstenio, et Emm. a Schelestrate; alterum est vulgatum, et a Chifflet crutum sub nomine Hormisdæ ex codice Furensi; tertium cum navis editum est in lucem ex cod. palatino bibliothecæ vaticane in op. cit. *De antiquitatibus Hortu*. Janvero in hoc postremo deest penitus catalogus librorum divinorum; in duobus vero prioribus recensentur Esdræ libri II. et Machabæorum libri II.

(3) Lib. II. cit. *De doctr. christ. c. 8.* ubi legitur: machabæorum libri duo et Esdræ duo.

(4) Epist. VI. ad Exuperium Tolosanum, cap. 7. scribens: machabæorum duo, Esdræ duo.

(5) Loc. cit. ubi legitur: Esdræ libri duo, machabæorum libri duo.

(6) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV. cap. 26.

(7) Comment. in 1. psalm. et apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. VI. c. 23.

Nazianzenus (*Carm. ad Saleucum*), Epiphanius (1) et Amphibochius (*in Iambis*), in Occidente vero Hilarius (*Prolog. in Psalm.*), Russinus (*in Symbolo*), et Hieronymus (2), unanimis plane sunt in rejiciendis apocryphis, libris nimis deuterocanonicis. 7. Quamvis autem a nonnullis veluti *Scriptura* afferantur ejusmodi libri, non ideo tamen putandum est in pari gradu cum libris protocanonicis eos habuisse, cum recepta apud eosdem fuerit distinctio inter libros canonicos et ecclesiasticos qui nempe legebantur in Ecclesia, quin tamen inter canonicos reciperebantur. Et haec quoad primam et secundam epocham, ab Esdra scilicet ad Christum usque, et a Christo ad sec. V. Ad tertiam vero epocham quod astinet, quæ se quidem porrigit a sec. V. ad conc. usque Tridentinum, nova prorsus æra aperitur. 8. Suadente quippe s. Augustino concilia Africana contra ecclesias orientalis et s. Hieronymi auctoritatem recensuerunt inter canonicos etiam apocryphos seu libros deuterocanonicos: atqui Augustinus deceptus fuit ex antiqua consuetudine lectionis horum librorum in Ecclesia, prout jam decepti fuerant Tertullianus et Cyprianus. 9. Nec tamen sibi constitutus Augustinus qui nempe agnoscat solos protocanonicos fuisse in canone Hebreorum receptos (*Lib. II. De grat. et lib. arbit. cap. 2*) : et in libro *Retractionum* excusat se quod tanquam prophetam seu auctorem inspiratum recensuerit auctorem ecclesiastici (*Lib. I*); et contra Gaudientium testatur Scripturam Machabæorum ab Ecclesia receptam esse non inutiliter, si *sobrie* legatur et audiatur (*Lib. I. cap. 54*). 10. Itaque ex tota Augustini et Africæ theoræ libri canonici existimabantur illi qui accipiebantur, id est legebantur in ecclesiis, non autem quasi divinam haberent auctoritatem, si protocanonicos excipias. Quod cum haud satis advertissent posteriores scriptores, eamdem in utrisque auctoritatem agnoverunt, et hunc demum errorem sancivit Tridentinum. 11. Ceterum nunquam defuerunt viri docti qui alios ab aliis libris apprime distinguenter. Junilius nempe Africanus an. 560. dividit libros V. T. in tres classes 1. *Perfectæ auctoritatis*; 2. *Mediae auctoritatis*; 3. *Nullius auctoritatis*; porro in prima classe una cum canonis collocat *Iesum Siracidem*: in secunda *Judith et Machabæicos*; in tertia *Sapientiam*; deque duabus posterioribus classibus palam pronuntiat: *Non inter scripturas canonicas currunt* (*De part. div. legis. lib. I. cap. 3*). Vigesimum primum caput *Capitularis Caroli M.* inter non canonicos resert libros apocryphos seu deuterocanonicos (*apud Harduin. Collect. conc.*): Gregorius M. excusat se quod testimonium allegaverit ex machabæicis libris non canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiæ editis (*Comment. in xx. cap. Job.*). Hugo a s. Victore an. 1200. de quinque apocryphis *Judith, Tobia, Sapientia, Ecclesiastico et Machabæorum libri duo*.

(1) *Hæres. VIII.* et *De ponder. et mensuris*, cap. 5.

(2) *Praef. in lib. Reg.* necnon in *praef. ad Proverb.* *praef. ad Paralip.*, *praef. ad Jerem.*, *praef. ad Daniel.* *praef. ad Esdr.*